

S. Hieronymus illa verba : *Vox Domini obstetricans cervis*. Sic per prædicationem Joannis præparati sunt homines ad fidem. Unde de eo dictum : *Ecce mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam*, Mal. III. Hac ergo voce utinam et nos præparemur ad partum salutis, ad saltum perfectionis et collium æternorum. Deinde, charitas ejus in Deum varie resplendit. Primo, ex eo quod in utero matris ad præsentiam Christi exultavit, quasi impatiens moræ et veluti gigas ad currendam viam ante Dominum. Secundo, quia nunquam lethaliter, et probabiliter nec venialiter eum offendit unquam, juxta Ecclesiæ hymnum : *Ne levi saltem maculare vitam flamine posses*.

Tertio, quia discipulos suos ad Christum misit, ut et ipsi eum agnoscerent et ab eo erudirentur : imo discipulis suis ansam dedit et stimulum addidit, ut se relicto sequerentur Christum, dum eum illis demonstravit : *Ecce Agnus Dei, etc.* Joan. I. mox enim ad hoc verbum, Christo adhæserunt : item ad honorem Christi omnia sua direxit opera et verba. Quarto, quia amore Dei omnia quæ sunt in mundo bona delectabilia, et pulchra contempsit, et in deserto desertus vixit, vitam denique, pro Dei gloria et justitia perdidit.

CONCIO III.

JOANNES CUR ANGELUS DICTUS

I. Habuit angeli officium. — II. Dotes angelicas. — III. Conversationem.

THEMA.

Quis, putas, puer iste erit? Luc. I.

Magni momenti quæstiones olim gentiles ad Apollinis auream tripodem; Judæi vero ad propitiarium deferebant, ut responsum divinum acciperent. Nos ad Christum Dominum, ipsam scilicet Dei sapientiam jure merito afferimus : quia de ipso nobis Deus Pater dixit : *Hunc audite*. Jam vero non exigui momenti quæstio est illa cognatorum et vicinorum Zachariæ, de Joanne : *Quis, putas, puer iste erit?* Posuerunt enim hanc quæstionem omnes in corde suo, ait S. Lucas : hoc est, accurate expendebant. Quid ergo ad hoc Christus? Respondet Matth. XI. Hic est de quo scriptum est : *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te*. Scriptum vero hoc est Malach. III. ubi missio Joannis quam Matth. XI. Christus modestiæ causa (ne arrogantiam insimularetur) a Judæis

Patri adscribit, ipsi Christo adscribitur a propheta dicente : *Ecce ego mitto angelum meum et parabit viam ante faciem meam*. De fide igitur est, per angelum illum denotari Joannem magnum et mirum oraculum, hominem verum et purum a Deo vocari angelum. Summus honos habetur, si quem rex Hispaniarum cognatum suum appellat. Quid erit, auditores, vocari a Deo angelum? Ponamus ergo in corde nostro et attente consideremus causas, propter quas hoc nomen sortitus est Joannes.

I. Quia angeli, hoc est cælestis nuntii officium habuit : *Angelus enim non naturæ, sed officii nomen est*, ait S. Gregor. Missus enim a Deo primo est, ut nuntiaret mundo Salvatorem mox adfuturum, imo etiam ut præpararet viam ejus. Multi quidem et alii prophetae ante Christum missi fuere, ut adventum ejus prædicerent; nullus tamen eorum angeli nomen a Deo accepit præter Joannem, quia solus iste Christum immediate præcessit et primario ad id missus est, ut Christum mox venturum prædicaret et digito ostenderet. « Multæ quidem stellæ, ait auctor imperfecti, ante solem præcedunt, nuntiantes lucis adventum : nulla tamen earum luciferi nomen habere meruit, nisi una, quæ cum ipsa luce procedit. Sic omnes prophetae ante faciem Christi præcedunt, nuntiantes adventum ejus : solus autem Joannes præcursor est appellatus, quia non solum adventum ejus annuntiat, sed ipsum illum digito suo ostendit. » Par ratio est de angeli nomine, quo solus Joannes condecoratus est.

Possumus hac in re Joannem modo aliquo imitari, si et ipsi bono nuntio et salutis monita, vel subsidia afflictis et desolatis afferamus. Solent dicere, qui in summa desolatione vel afflictione solatium vel opem aliam capiunt ab aliquo, de cælo sibi missum esse angelum. Talis angelus fuit David puero illi Ægyptio, quem in agro dereliquerat herus propter ægritudinem; quando sustulit eum David, et pane ac potu refocillavit pene jam extinctum, I. Reg. XXX. talis Habacuc Danieli cum ei in lacu leonum constituto, cibum angeli ductu attulit, Danielis XIV. talis ipse Daniel Susannæ, cum eam inique condemnatam et jam ad mortem ductam, liberavit, Daniel. XIII. talis Sanctus Paulinus episcopus filio illi viduæ, pro cujus redemptione ipse se in servitutem vendidit, apud Divum Gregorium, lib. III. dialog. capite II. talis puella Alexandrina desperato illi, qui ob æris alieni multitudinem laqueum sibi injecerat, quando ei opes suas, quibus illa debita dissolveret, promisit, simulque vitam servavit, apud Joannem Moschum, in prato spir. cap. CCVII. talis venator ille (qui putatus ille postea est an-

gelus) Maximiliano archiduci, postea imperatori, quando eum per venationem in prærupta loca delatum jamque de salute desperatum insperato convenit, bonoque animo esse et præcedentem sequi jussit, atque in viam reduxit, apud Stephanum Pighium; tales porro et nos esse possumus, si constitutis in morbis et mortis periculo, in summa rerum penuria, in desolatione vel desperatione, in gravi errore vel animi fluctuatione opem adferamus, bene consulamus, animum erigamus, etc.

Secundo, missus est, ut præpararet corda hominum ad recipiendum Salvatorem. Quemadmodum ergo angeli superiores docent inferiores, et præterea purgant, illuminant et perficiunt homines : ita etiam Joannes multos filiorum Israel convertit ad Dominum Deum ipsorum : convertit corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, Luc. I. redarguit peccatores, consuluit ignorantibus, discipulos suos ad Christi sequelam, adeoque ad perfectionem direxit, etc. Primus denique mundo regnum cælorum annuntiavit, velut angelus e cælo missus.

Possumus et in hoc fieri nos angeli, et Joannem imitari, ut ostendit S. Gregorius, homil. VI. in evangelia dicens : « Hujus altitudinem nominis (angeli scilicet) etiam vos, si vultis, potestis mereri. Nam unusquisque vestrum in quantum sufficit, in quantum gratiam supernæ aspirationis accepit, si a pravitate proximum revocat, si exhortari ad bene operandum curat, si æternum regnum vel supplicium erranti denuntiat, cum sancta denuntiationis verba impendit profecto angelus existit. Et nemo dicat, admonere non sufficio, exhortari idoneus non sum. Quantum potes exhibe, ne male servatum talentum, quod acceperas, in tormentis pendere exigaris. Neque enim plusquam unum talentum acceperat, qui hoc abscondere magis studuit, quam erogare. Et scimus quod in tabernaculo non solum phialæ, sed præcipiente domino etiam cyathi facti sunt. Per phialas quippe doctrina exuberans, per cyathos vero parva atque angusta designatur scientia. Alius doctrina veritatis plenus audientium mentes inebriat; per hoc ergo quod dicit, profecto phialam porrigit : alius explere quod sentit non valet, sed quia hoc utcumque denuntiat, profecto per cyathum gustum præbet. In Dei ergo tabernaculo id est, in sancta Ecclesia positi si per doctrinam sapientiæ ministrare phialas minime potestis, in quantum pro divina largitate sufficitis, proximis vestris boni verbi cyathos date. In quantum vos profecisse pensatis, etiam vobiscum alios trahite, in vias Domini socios habere desiderate. Si quis vestrum fratres, ad fo-

rum aut fortasse ad balneum pergit, quem otiosum esse considerat, ut secum veniat, invitat. Ipsa ergo terrena actio vestra vos conveniat, si ad Deum tenditis, curate ne ad eum soli veniatis. Hinc etenim scriptum est : Qui audit dicat : Veni, ut qui jam in corde vocem superni amoris acceperit, foras etiam proximus vocem exhortationis reddat. Et fortasse panem ut indigenti eleemosynam porrigat non habet, sed majus est quod tribuere valeat, qui linguam habet. Plus enim est verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere, quam ventrem morituræ carnis terreno pane satiare. Nolite ergo fratres proximis vestram eleemosynam verbi subtrahere. » Hæc Gregorius.

II. Quia dotes multas habuit angelicas. Primo enim, sicut angeli infantiam non habuerunt, sed cum natura perfecta, ut rationis et liberi arbitrii creati fuerunt brevissimo etiam tempore in puris naturalibus steterunt, mox gratia et gloria donati : ita etiam Joannes sex menses tantum infantia et puræ naturæ habuit; sexto enim mense ad præsentiam Christi et Deiparæ in utero sanctificatus est et exultavit, pleno item rationis usu donatus agnovit et salutavit Christum. Quemadmodum enim cereus nondum ardens a propinquo ardente cereo accenditur : ita a præsentia Christi accensus est Joannes igne cælestis gratiæ et factus est lucerna lucens et ardens, uti vocatur a Christo.

Secundo, sicut angeli, præsertim supremi, a solo Deo illuminantur : ita et Joannes in deserto nullum alium magistrum præter Spiritum s. habuit, eoque doctore sapientissimus evasit, ita ut Christum prius non visum mox agnosceret, omnis generis hominibus salutis documenta dare posset, Sadducæos item et Phariseos redarguere, Scripturam intelligere, fidem auditoribus persuadere, etc.

Tertio, sicut angeli in gratia mox confirmati sunt, ut ab eo excidere non possint : ita Joannes gratiam acceptam nunquam perdidit, ut jure merito confirmatus fuisse in gratia ex utero credatur. Nam ut ait Divus Thomas, III. p. quæst. XXVII. art. VI. ad I. *Sanctificatis in utero creditur præstitum esse, ut de cætero mortaliter non peccarent*.

Non possumus in his dotibus sive angelis sive Joanni assimilari, utpote quæ a Dei solius gratia proveniunt; possumus tamen adulta in ætate exuere infantiam illam vitiosam, de qua apostolus, I. Cor. XV. ait : *Nolite pueri affici sensibus, ut scilicet puerilia sectemini et agatis*; et Proverbiorum I. *Usquequo parvuli diligitis infantiam?* sectando scilicet vana et caduca bona. Hujusmodi

infantes noluit, Isa. cap. LXV. esse vel tolerari in Ecclesia tempore legis novæ. Ait enim: *Non erit tibi amplius infans dierum et senex qui non impleat dies suos, q. d. renati per baptismum adulti, non erunt quasi infantes, sed instar viro- rorum gratia et virtutibus pollentes. Tales autem erant Christiani primi, qui mox a baptismo cur- rebant ad martyria: Magisque damnati, quam ab- soluti gaudebant, ut scribit Tertullianus, l. ad Scapulam Carthaginis præsidem in Christianos sævientem. Itidem mendacium et mollitiem adeo aversabantur, ut mori mallent quam mentiri, teste Sancto Justino, apol. II. et ut specula, in quibus se contuerentur, vitarent, teste eodem lib. ad Serenum. Denique, de primis Christianis scribit S. Hieronymus, lib. de script. eccles. in Philone: « Talis primo credentium fuit Ecclesia, quales nunc monachi esse nituntur et cupiunt, ut nihil usquam proprium sit, nullus inter eos dives, nullus pauper, patrimonia egentibus divi- dantur, orationi vacetur et psalmis doctrinæque et continentia, quales et Lucas refert primum Jerosolymis fuisse credentes. »*

Possumus et in gratia firmiter persistere, si media illa adhibeamus, quæ in primitiva Eccle- sia adhibuerunt Christiani, scilicet verbi Dei se- dulum auditum, sacræ communionis frequentiam et instantem orationem: *Erant enim illi perseve- rantes in doctrina apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus*, inquit Sanctus Lu- cas, Actor. II. Hominis vitæ conservandæ tria sunt necessaria, sol, panis, habitus. Totidem etiam servant vitam spiritualem; sol verbi Dei, panis eucharistiæ, et habitus orationis. Ad hujus rei adumbrationem in templo veteri visebantur vasa tria, candelabrum septiceps, mensa panum propositionis, altare thymiamatis denotantia frequentiam concionis, communionis et oratio- nis.

III. Quia conversatio ejus fuit angelica, quod apparet, primo, ex ejus vita contemplativa, quam egit in deserto, ubi perpetuo cum Deo conversa- tus eumque contemplatus est, quemadmodum ss. angeli semper vident faciem Dei, et stant in conspectu ejus. Audiamus Chrysostomum, hom. LVIII. in Matth. « Joannes, inquit, ita in terris quasi in cælo versabatur. Naturæ namque neces- sitate superata mirabile quoddam peregit iter, semper in hymnis, semper in orationibus fuit: nulli hominum antequam ad baptizandum acce- deret, Deo autem soli sua semper offerebat collo- quia. »

Secundo, ex ejus sobrietate et cibi potusque parcimonia; siquidem locustas et mel silvestre edebat, cibos coctos, delicatos præsertim, habere

in eremo non potuit. Unde Sanctus Basilius, ho- mil. de jejuniis, totam ejus vitam continuum jejunium vocat; ad hæc Divus Chrysostomus, hom. X. in Matth. « Joannes, ait, nec tecto indi- guit, nec lecto, nec mensam vel aliqua hujusmodi requisivit, sed angelica quadam vita in carne mortali resplenduit. » Ipse Dominus, Matthæi XI. de ipso dixit: *Venit Joannes non manducans ne- que bibens, hoc est, tam sobrie et modice, ut solo aere vesci videretur.*

Tertio, ex virginea et angelica ejus puritate quam perpetuo coluit, imo et pro castitate tuen- da occubuit: *Virginitas autem est angelorum vita*, inquit Sanctus Athanasius, lib. de virginitate. Imo ipse Dominus dixit beatos in cælo futuros sicut angelos Dei, quia ibi nec nubunt nec nu- buntur, Matth. XXII. Fuit autem Joannes *lilium virginitatis*, uti vocatur a Theodoro Studita, in orat. de Baptist. *lilium*, inquam, illud, *inter spinas*, Cant. II. vallatum undique deserti asperi- tate et pœnitentiæ duritie adversus carnis illece- bras.

Quarto, ex vitæ innocentia. Nunquam enim pec- cavit, saltem graviter et mortaliter: quia etiam credunt aliqui, nec venialiter deliquisse, ut vide- tur insinuare Ecclesia in hymno: *Ne levi saltem maculare vitam flamine posses*. Optime Sanctus Gregorius, in Job. II. ait: « Numquid credimus aliquid fuisse, quod in vita Joannis mors terge- ret? Sed quando ille vel in cibo peccavit, qui lo- custas solummodo et mel silvestre edit? Quid Deo vel de qualitate sui tegminis deliquit, qui ca- melorum pilis corpus operuit? Quid de conversa- tione sua offendere potuit, qui de eremo non recessit? Quid illum loquacitatis reatus polluit, qui disjunctus longe ab hominibus fuit? Quando il- lum vel silentii culpa attigit, qui venientes ad se jam vehementer increpavit dicens: Genimina vi- perarum, quis demonstravit vobis fugere a ventu- ra ira? » Fuit ergo Joannes in deserto quasi cu- pressus, quæ nec cariem admittit, nec rimam te- mere aperit; unde ex ea statuæ fiebant, teste Pierio, lib. LII. hierogl. cariem peccati non ad- misit, nec vel rimam unam aperuit dæmonis in- gressui.

Superest, ut nos pro modulo nostro imitemur in his Joannem. Et primo quidem, si non possu- mus sedulæ vacare contemplationi, possumus subinde saltem aliquoties in die elevare ani- mum ad cælum Deoque conjungere per oratio- nem et mysterii alicujus contemplationem, de di- vinis attributis, passione Domini, cœlesti gloria, etc. Quemadmodum capilli adornant caput: ita sanctæ meditationes (quæ ex capite prodeunt ut capilli) animam, quæ si illis destituatur, non so-

CONCIO IV.

PRÆSAGIA VITÆ.

- I. Ex præviis omnibus. — II. Ex parentum vita. — III. Ex institutione magistri. — IV. Ex societate. — V. Ex vitæ primordiis.

THEMA.

Quis, putas, puer iste erit? Lucæ I.

Vulgata et parentibus usitata quæstio illa est: *Quis, putas, puer iste erit?* Cum vident raram in- dolem se prodere in suis liberis, sive bonam, si- ve malam. Sed nec parvi momenti quæstio ista est. Si enim præviderent parentes bonos futuros liberos suos; utique non gauderent tantum, sed etiam conatus illorum strenue adjuvarent: vicis- sim vero, si malos futuros prænosset, malos eorum conatus et machinationes omni studio im- pedirent, viasque eorum malas spinis sepirent. Contingit enim non raro ut de perverso filio dica- tur: Bene cum illo actum fuisset, si in primo fuisset balneo suffocatus. Et de proditore suo scimus Dominum dixisse: *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*, Matthæi XXVI. Multum igitur refert prænosse puerorum indoles. Sed quis dicet nobis quid ex ætate tenera futurum ali- quando sit? Ego sane divinator non sum, sed ta- men conjecturas aliquas digito notabo, ex qui- bus valde probabiliter poterit cognosci, boni an mali sunt futuri liberi.

I. Cognoscuntur ex præviis ominibus, quæ multoties contingunt iis, qui aut insigniter boni, aut insigniter mali sunt futuri. E honorum nu- mero est imprimis Sanctus Joannes in hodierno evangelio, in cujus ortu mira Dei potentia osten- sa est, præsagens eum futurum magnum virum: Sanctus Ambrosius, in cujus ore dum adhuc in- fans esset examen apum consedit, quod divinam viri eloquentiam præmonstrabat, ut inquit Pauli- nus, in ejus vita: Sanctus Dominicus, cujus mater gravida sibi visa est in quiete continere in alveo catulum ore præferentem facem, qua edi- tus in lucem orbem terrarum incenderet; quo somnio significabatur fore ut Sanctus Dominicus splendore sanctitatis et doctrinæ cunctos ad Dei amorem inflammaret: Sanctus Ephrem e cujus adhuc pueri ore visa est parentibus prodire vitis, quæ omnem regionem repleret; significabat au- tem quantum in se arsura esset ejus sanctitas et doctrina: Sanctus Bernardus, cujus mater gravi- da sibi visa est gerere in utero catulum candi- dum, in dorso subrufum, multos latratu edentem, quo significabatur fore eum insignem Eccle- siæ defensorem, morum depravatorum et hære-

tum calva et turpis est coram Deo, verum etiam imbecillis ad resistendum dæmoni, carni, mun- do. Uti enim Samson capillo detonsus, omne ro- bur perdidit, et Philistinorum præda factus est: ita qui ab orationis et contemplationis studio de- ficit, robor spirituale perdit.

Secundo, quis non potest studere sobrietati, saltem ita ut semper sibi præsens et ad quævis munia expeditus sit; siquidem ebrietas longe plus molestiæ affert homini, quam sobrietas? Potuerunt hoc gentiles; non potuerunt Christia- ni? Tradit Xenophon antiquos Persas ad panem nihil nisi nasturtium adhibere solitos: hinc apud eos turpe habitum spuere, tamquam crapula nota esset. Plato, item, l. III. de rep. docet tem- pore Homeri catarrhum non fuisse cognitum, sed primum ætate sua innotuisse, cum non semel, ut olim, sed bis in die comedere, imo commessari cœperunt homines. Hinc Cyrus Persarum rex sim- plicem et tenuem Persarum victum præferbat Medorum deliciis; quod hi per multas epularum ambages, illi vero recta et compendiosa via ad eundem terminum, cibi videlicet satietatem per- venirent, Xenophon, lib. I. de Cyropæd.

Tertio, castitatem si non ab angelis et Joanne, discere possumus ab Arianis illis Wandalis qui duce Genserico Africam occupaverunt et vasta- runt, biennio ante mortem Sancti Augustini Hip- pone in Africa degentis. Illi enim teste Salviano episcopo Massiliensi, lib. VII. de vero judicio Dei, cæterum crudeles et improbi, castitatem tamen mire coluerunt, nec virorum modo, sed et femi- narum impuritates abominati sunt, horruerunt lupanaria, meretrices ad matrimonia compule- runt, legibus severis libidines coercuerunt, et in hoc Romanos et catholicos magnopere confude- runt, imo tandem suo exemplo castos effecerunt, Baron. anno 428.

Denique, si non omnia prorsus, graviora tamen peccata et quæ dedita committuntur opera, vita- re possumus. Hoc ergo nunc agamus, ut qui in- ter angelos aliquando constitui et vivere æternum volumus, angelorum vitam et mores hic addisca- mus, et quantum fas est, induamus.

ficorum insectatorem, in vita S. Bernardi, lib. I. cap. I. Sanctus Willebrordus et Sanctus Columbanus, quorum mater, illius quidem lunam novam crescentem in plenilunium; hujus vero, solem videre sibi visa est utero gestare; quod uterque terram, in quam devenisset, illustratus esset virtute et doctrina, Albinus Flaccus, in vita Sancti Willebrordi, et Jonas abbas, in vita Sancti Columbani: Sanctus Andreas Corsinus Fesulanus, cujus mater visa sibi est per quietem lupum peperisse, qui postquam ingressus est in templum, mutatus sit in ovem; significabat autem fore eum initio moribus asperis, sæculo et venationibus deditum et parentibus immorigerum, uti factum. Ideo enim mater solebat ei dicere adhuc juveni: Vere tu es lupus ille quem vidi per quietem: verum ex hoc ipso matris verbo territus et emendatus filius, ingressus est templum et monasterium Carmelitanum, ibique Deo serviens in magnum et sanctum virum mutatus est, Surlus, 6. jan. Quo referre possumus strenuum illum ducem Georgium Castriotum, vulgo Scanderbergum, qui matri suæ visus est veluti serpens quidam totam Epirum operire et caput in Tureiam protendere, quod Epirum Turcæ crepulus et gravia damna illaturus esset: acinacis præterea impressam effigiem ab utero tulit materno, quod strenuus bellator futurus et fidei christianæ propugnator, Barletius, in ejus vit. lib. I. cap. LXXXII. E malis est Constantinus Copronymus qui hoc nomen inde accepit, quod baptisni fontem infans collutularit, præsgio futuræ impietatis et iconomachiae, ut propheticæ interpretatus est Sanctus Germanus patriarcha, apud Baronium, anno 719. quod idem de Lutero refert Joannes Nas in centuria sua. Henrici III. imperatoris mater Agnes visa sibi est parere draconem virulentum, qui et factus est virulentus hostis Ecclesiæ et papæ, Baronius, anno 1051.

II. Ex parentum vita et moribus. Raro enim fallit dictum Germanicum, quod Latini dicunt: *Mali corvi malum ovum*. Nam primo, filiorum complexio fere talis est, qualis parentum: unde Diogenes videns adolescentulum ex tumulenta desipere dixit: *Ebrius te seminavit pater*. Poterat eadem ratione dicere parentibus ejus, si vitium eorum novisset: Parentes ebriosum habebitis filium. Et propterea mater Samsonis jubetur ab angelo virum et siceram non bibere, et immundis non vesci, eo quod filius ei nasciturus, futurus esset Nazarenus, (Judic. III.) cui hominum generi non licebat vinum et siceram bibere nec immundis vesci. Jubetur ergo mater et habitura talem filium, et ipsa talem se exhibere.

Secundo, filii parentum exempla plerumque imitantur qui ea quæ parentes agunt recta existimant, eaque eum fere sola intueantur, sola arripiunt et fortiter sibi imprimunt.

Tertio, parentes boni et pii merentur a Deo accipere liberos bonos, sæpe impetrant tales precibus et lacrymis quemadmodum mater S. Augustini Monica, cui petenti cum lacrymis ab episcopo quodam ut filium ad frugem revocaret, respondit episcopus: *Vade fieri enim non potest, ut filius istarum lacrymarum pereat*. Dicti veritatem eventus demonstravit, Augustinus, lib. III. confessionum, cap. ultimo. Ita Sanctus Richardus meruit accipere sanctissimos liberos, Wilibaldum Wunibalcum, Walpurgam. Vicissim mali parentes merentur puniri malis et perversis liberis, quod si non semper, sæpius tamen illis contingit.

III. Ex magistris et institutione. Ut enim equi generosi, si a primis annis recte instituuntur, egregii et ad omnem usum accommodi fiunt; sin minus, efferati et inutiles: sic et liberi præsertim ingenui. Lycurgus Lacedæmoniorum legislator quanta sit vis educationis, civibus ostensurum, suos catulos ejusdem matris assuefecit, unum venationi in silva, alterum in culina pannis oblingendis: quo facto, ad diem dictum produxit utrumque in forum, et hinc quidem lebetem carnium posuit, illinc leporem dimisit, currentibus e vestigio canibus, illo ad escas, hoc ad leporem, Plutarch. in Lacon. Hunc in modum filii qui domi tantum ad culinam et mensam educantur, belluones fiunt inutiles; qui vero extra paternam domum aluntur in studiis, seryitiis, etc. boni et utiles. Exemplo sunt (paucissimis forte exceptis) qui quam bene vel quam male a teneris instituti sunt, tam boni postea vel mali evaserunt. Hinc tantum evasit Samuel, quia in templo educatus: S. Joannes Baptista, quia in eremo vitam solitariam puer agere cœpit: Deipara, quæ in templo sanctissime educata fuit. Nimirum includenda et intra disciplinæ terminos continenda est tenera ætas, ad instar horti aut vineæ, quæ nisi sæpe circumdetur at præterea a custode servetur, certo diripietur, uti Isaias V. ait Dominus: *Ostendam vobis quid faciam vineæ meæ? Auferam sepem ejus, et erit in direptionem; diruam maceriem ejus, et erit in conculationem: et ponam eam desertam: non putabitur et non fodietur: et ascendent vepres et spinæ*. Tales enim evadunt ii quibus in juventute subtrahitur disciplina. Jeremiæ propheta ostendit Deus visionem, et ab eo quæsit: *Quid tu vides Jeremias? Qui respondit: Virgam vigilantem ego video*. Et Dominus: *Bene vidisti, Jeremias*. I. Optimum hoc prognosticum est, auditores, ho-

nos futuros filios vestros si in ædibus vestris videatur virga vigilans super eos, utpote fenestræ adhærens aut alio loco conspicuo proposita. Bene videtis parentes, si virgam hanc vigilantem in vestris domibus videtis; male vero e contra, si virgam dormientem et neglectam disciplinam. Ad hos enim pertinet altera illa viso Jeremiæ ostensa et immediate subjecta ollæ scilicet succensæ, quæ spectat indisciplinatos filios, seu hic, seu in altero sæculo. Videte igitur hic virgam vigilantem super filios vestros, ne ibi subter eisdem videatis ollam succensam.

IV. Ex convictu et societate bonorum vel malorum. Non enim fefellit psalmista cum scripsit, Psalmo XVII. *Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverseris*: et Sapiens, Proverb. XIII. *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum, similis erit eis*: sic dicitur: *Qui prope claudum habitat, discit claudicare*. Hinc prædixit Deus Israelitis, eos a Chananæis viris et mulieribus pervertendos et deflexuros ad idola, si cum illis amicitias contraherent, et se illis jungerent: *Certissime, inquit, avertant corda vestra ut sequamini deos earum*, Exodi XXXIV. et III. Reg. XI. idque in se expertus est sapientissimus Salomon. Cœpit idem Salomon subodorari filium suum Roboam futurum stultum et perversum, Eccl. II. cum ait: *Detestatus sum omnem industriam meam, quæ sub sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me quem ignoro, utrum sapiens an stultus futurus sit*. Potuit autem hoc colligere cœtaneis pueris, quos nullo habito delectu ei adjunxerat et cum eo nutrierat in deliciis (ut colligit ibi Sanctius) a quibus et postea depravatus est et seductus, ut perderet magni regni sui partem, III. Reg. XII. II. Paralip. XIII. Nihil enim magis nocet teneræ adhuc et rudæ ætati, quam pravorum consuetudo, præsertim si cum iis a rudioribus annis adoleverit. *Difficile enim, ut ait S. Hieronymus, ep. ad Lætiam, eraditur quod rudes animi perhiberent, neque lanarum conchyliis ad pristinum candorem revocari possunt: et rursus ibidem: Procul sit ætas lascivæ puerorum; ipsa puella et pedissequæ a secularibus consortiis arceantur, ne quod male didicerint, pejus doceant*. Quod bene notandum a parentibus, qui hoc sacro die dimittunt filios et filias suas ad choreas et lascivæ carmina circa ignem (ut vocant solstitialem) modulanda, ubi juniores ab adultioribus perdiscunt levitates et lascivias.

V. Ex vitæ primordiis, nam ut est in Proverbio: *Curvum se præbet, quod in unicum crescere debet: et: Urit mature quod vult urtica manere: et: Quod nova testa capit inveterata sapit*. Communiter enim quisque qualem se exhibet in adolescentia,

talem se inveniet in senectute, teste Sapiente, Proverbiorum XXII. *Adolescentia juxta viam etiam cum senuerit, non recedet ab ea; et Prov. XX. Ex studiis suis cognoscitur puer*. Exemplo est S. Thomas Aquinas qui adhuc infans chartam versans, imo comedens, significabat quam studiosius et litterarum amans, quantusque doctor aliquando futurus esset. Idem Samuel, Augustinus, Bernardus, Chrysostomus, etc. quorum indoles a teneris se prodidit, quanti essent futuri. Tobia senior item cum esset junior, nihil tamen puerile gessit: *Aliis pergentibus ad vitulos aureos, ipse pergebat in Jerusalem ad templum Domini*, Tobia I. Etiam Areopagita damnarunt puerum, accusatum, quod coturnicum oculos crudeliter confixisset: inde enim colligebant futurum eum aliquando immanem et crudelem, Quintilianus, libro V. cap. IX. Eluxit etiam in Alexandro magno in ætate immatura regia indoles, quando Bucephalum, equum ferocissimum, de quo frenando omnes desperabant, mira dexteritate solus edomuit, et commodum sibi reddidit. Quam ob causam exosculatus eum pater, velut nato ad res maximas dixit: *Quare, fili, par tibi regnum, si quidem Macedonia tui non est capax, ut in ejus vita*.

Quare vultis scire parentes quales olim futuri sint filii et filiae vestræ? Attendite ad eorum studia et mores pueriles ac juveniles. Tractant aleas et lusorias chartas? Aleatores, at tandem fures ne fiant, merito timeate. Tractant pocula et patinas? Gulones eos videbitis. Tractant nummos et amant illos? Quid si avari fiant? Tractant specula? Vestitum, novitates admirantur et quærun? Superbulos et comptulos, Veneris alumnos alitis. Tractant rosaria vel libros? Pios vel studiis addictos fore non temere ominamini. Itaque si ad malum pronos illos videtis, in tempore mederi studete. Frangi potest prava indoles accurata institutione. Vasculum ex argilla nondum induratum si minus accommodè factum sit, frangi et in aliud vas commodum flecti et mutari potest. Unde figulus ille apud Jeremiam, cap. II. cum fecisset vas e luto, quod mox dissipabatur: *Conversus fecit illud alterum, sicut placuerat in oculis ejus, ut dicitur ibi*. At ubi vas æstu fornacis induratum est, aliter fingi nequit. Vos parentes figuli estis, liberi vestri argilla, mollis quidem in ætate tenera, indurata vero in matura. Ergo si a natura ad malum compositos esse filios vestros cernetis, flectite adhuc teneros et mutate in vasa honoris vasa contumeliæ. Rursus eisdem ad laudabilia studia videtis inclinatos, nolite eos abstrahere ad ea quæ oderunt. Laudat Sanctus Gregorius Nazianzenus, in epistola ad Eudoxium con-